



1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de Vera Dei Invocatione.
3. Themat. (1) de Verbo Dei. (2) de Deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De claribus regi coelorum.
8. De precibus capitibus doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelij.
10. De persona Christi, de unione personali in Christo, de unione
sui communitate: veray presentia corporis et
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Crucifixo.
13. De summa doctrinae Ecclesasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesastica.

Conciones.

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur dicitur dicitur etc.
2. Luc. 27. Unde dicitur dicitur dicitur etc.
3. Matt. 24. Unde dicitur dicitur dicitur etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur dicitur dicitur etc.
5. Cor. 11. Unde dicitur dicitur dicitur etc.
6. Ps. 133. Unde dicitur dicitur dicitur etc.



8
DISPV TATIO DE
CLAVIBVS REGNI
cœlorum.

Diuino fauente numine.

PRÆSIDERE
VERENDO CLARISSIMOQVE
VIRO, DOMINO IACOBO HEERBRANDO,
SS. Theologiæ Doctore, & eiusdem in inclyta Tü-
bingensi Academia Professore celeberrimo, Præ-
ceptore suo summa obseruantia colendo, M. IOAN-
NES LANGIVS Memmingensis, ad subscri-
ptas Theses 16. Septemb. hora & loco
solitis exercitiij causa respons
debit.



T V B I N G Æ,
ANNO M. D. LXXV.

DISPUTATIO DE

CLAVIBVS REPTI

coloniae

Diuisio faciente inuenerit

PRÆFATIO

VERENDO CLARISSIMO

VIRO DOMINO JACOBO WERTHERANO

S. S. Theologiae Doctore, & eisdem in iudicio

Magistri Academiae Professori celeberrimo, Prae

ceptoris huiusmodi obsequium habendo, M. D. C. C. X.

ASSUMPTVS MENTINGENSIS, ad publicam

hanc Thesauri Speculationem, hanc & hanc

solus exequi cupit, hanc

degit

CLAVIBVS

REPTI

P. V. B. I. S. C. E.

ANNO M. D. C. C. X.



GENERIS NOBILITATE, VIRTUTE, SAPIENTIA, DOCTRINAQUE MULTIPlici, VIRO CLARISSIMO, Melchiori Stebenhaber, Patricio & Consuli Reipub. Memmingensis, Domino suo obseruando,
S. D.

PRæclare sanè, & scitè D. Augustinus, inter alia multa scriptum reliquit, Deum Opt. Max. tantæ esse bonitatis, & Sapientiæ, vt malum fieri non permitteret, nisi maius aliquod inde posset elicere bonum. Quod cum in tota vita, tum maximè in Ecclesia filij Dei locum habet. Cui etsi multa, & varia accidere videantur mala: ea tamen mirificè ita omnia, pro sua infinita sapientia, & singulari clementia temperat, vt non felicem modo sortiatur euentum, sed etiam, quæ mala sunt, in bonum conuertat vsum.

Ita iam diu Ecclesia non armis solum crudelissimè, sed stylo etiam, Sophismatibus, & diris Anathematismis ab huius seculi sapientissimis, doctissimis, addo & potentissimis, qui columnæ ac præcipui eius patroni, & gubernatores haberi volunt, infestatur, vt coniunctis viribus ad extrema, nihil intentatum relinquentes, descendant. Et studiosè hoc agunt, vt fontes Scripturæ sacræ perennes, ac limpidissimos instar Philistæorum, qui olim fontes, quos Abraham foderat in terra Cananæa, obturauerunt, non conturbent solum, sed penitus corrumpant & obscurent.

Verum hoc inde, vt reliqua taceam in præsentia, commodi habet Ecclesia, vt quàm inuicta sit veritas, appareat. Et quod vulgo dicitur, contrarijs iuxta se positis magis elucescat, illorum autem stultitia, & impietas magis magisq; manifesta fiat omnibus. Quod in tanta veritatis luce, tanquam ex orbe peregrino aduenientes, mordicus tamen nihilominus omnium suorum errorum nervos retinere conantur: & astute vulnera sibi gladio Spiritus inflictæ, dissimulant: publicè, adeo perfrecta fronte, illos Ecclesiæ proponentes, ac si vox verbi Dei nunquam personuisset.

Hoc itaq; consilio hactenus nonnullas sectæ Iesuiticæ Disputationes, quæ in manus meas peruenerunt, resuravi, vt fontes Israël a

Epistola dedicatoria.

lignis, lapidibus, stipulis, cæno, & alijs sordibus, quibus eos per-
turbare, & conspurcare solent, meo loco, & statione repurgas-
rem.

Sicut etiam hanc præsentem de clauibus regni cælorum,
cuidã de Absolutione opposui. In qua multiplices errores Pon-
tificiæ Ecclesiæ, propolæ istarum nugarum, næniarum, atq;
impietatis stabilire conantur. Cuiusmodi sunt, de omnium pec-
catorum enumeratione in confessione sacramentali, proprio sa-
cerdoti semel in anno ab omni vtriusq; sexus, iure diuino sim-
pliciter facienda. De Satisfactione pro peccatis, pro modo deli-
cti imponenda. De casibus reseruatissimis summo Pontifici, in quibus
nemo alius absoluendi miserum peccatorem habet pote-
statem, sine speciali licentia sedis Apostolicæ. De Indulgen-
tijs. De Iurisdictione Romani Pontificis, qua ius sibi
vendicat vtriusq; gladij, adeo, vt vacante imperio, Imperatori
succedat, & non solum pro suo arbitrio sumos Monarchas ex-
comunicet, verumetiam de solio Maiestatis deponat, sibi subij-
ciat, pedibus conculcet: verumetiam subditos ab eorum obedi-
entia absoluat, eosq; contra ipsos ad seditionem concitet. Quod
non semel factum, Annales testantur.

Quid hac in parte præstiterim, & vtra sententia firmioribus
nitatur, ac solidioribus fundamentis, Ecclesiæ veræ, quæ haurit
aquas cum gaudio de fontibus salutaribus Israël, iudicio relin-
quo, cui & hoc, & alia mea subijcio.

Sicut tuo etiam, Vir Clarissime, quem veræ Christi Eccle-
siæ ciuem, & membrum viuum, ac præcipuum agnosco, iudico,
credo.

Et quid ni ad tuum quoq; prouocem iudicium? Cum à
puero, & bonis literis ingenium, quod Deus tibi concessit acer-
rimum, excolueris: & cum literarum studio, Iurisprudentiæ, &
historiæ omnium temporum, cognitionem etiam sacræ Theo-
logiæ tibi comparasti, quam quotidiana lectione inter maximas
Reipub. occupationes, auges subinde. Quam ob causam patriæ
quoq; gubernacula tibi merito sunt commissa.

D. Ambrosium, nondum Baptismi sacris initiatum, à tri-
bunali, communibus populi suffragijs, ad Episcopatum raptum
legimus, qui & inter primarios Ecclesiæ doctores numeratur.

Nec ideo mox publicè pro concione docere alicui permit-
tatur, etiamsi doctrinam cœlestem rectè intelligat (Quod etsi fa-
ceremus,

Epistola dedicatoria.

3

ceremus, non sine exemplo à nobis fieret: sed piaculum iudicari. Nouimus enim distincta esse officia, Ecclesiasticum munus, & Politicam gubernationem

Tametsi, qui maximè verbis hoc vrgent discrimen, non suo contenti docendi munere, ad quod vocantur, sed turpiter negligunt, nec intelligunt, nec præstare possunt, nec, si possent, vellent, quòd eius ipsos pudeat, dominium, & politicam administrationem affectantes, minimè obseruent.

Et varia sunt Spiritus sancti dona. Alij enim datur Prophecia, alijs Spirituum discretio per eundem spiritum &c.

Quare ad te, Consul sapientissime, optimo iure hanc nostram mitto Disputationem, quam vestræ Reip. alumnus, pro viribus defendendam suscepit. De cuius moribus, studijs, profectu, & donis bene pollicemur, & speramus, Deo propicio, fore aliquando vtilem, & salutarem Ecclesiæ ministrum, & gubernatorem.

His & tuam Dominationem, & nos omnes, nostra studia, Respub. honestas, quæ præbent hospitia, & alia præsentis vitæ adminicula docentibus, & discentibus verbum Dei, Ecclesiæq; totam, patrocinio filij Dei custodis earum fidelissimi, omnis boni authoris commendo. Quem cum patre, & Spiritu sancto, toto pectore oro, vt nos in veritate conseruet, quo & eum, vnum

verum Deum in hac vita agnoscamus, & in illa altera

perpetuò celebremus Amen. Tubingæ scri-

psi, Anno à nato Salvatore 1575.

Septemb. 7.

Jacobus Heerbrand D.

A, Disputatio

4
DISPUTATIO DE
CLAVIBVS REGNI
cœlorum.

1.



Vm̄ varia sint de clauibus Regni cœlorum, & Ecclesiæ, opiniones erroneæ: quibusdam nimium illis tribuentibus, & ad tyrannidem in Ecclesia intolerabilem stabiliendam abutentibus: alijs verò prorsus ferè eas negligentibus: necessarius autem planè ac salutaris sit illarum vsus & cognitio: Quid piè & rectè de illis sit sentiendum, hac disputatione visum est explicare.

2. Metaphoricè autem claues, de Regno cœlorũ dicuntur: quòd illis, sicut aliàs in œconomia fieri consuevit, vt ianua domus, cistæ, & alia clausa aperiantur clauibus: cœli ipsius, quod omnibus hominibus clausum est, ianua referantur.

3. Quemadmodum enim Deus primos nostros parentes, propter transgressionem sui mandati, è Paradiso eiecit, claudens illum quasi, & Angelorum custodia muniens, ne illis rursus ad eum pateret aditus: ita etiam cœlo, cuius ille vestibulum quasi fuit, eiecit, idè propter peccata toti humano generi clausum sit.

4. Quare clauibus quibusdam est opus, quibus referetur illud: quò ingredi nobis per ostium liceat apertum.

5. Sunt

Disputatio de clauibus regni cœlorum. 5

5. Sunt igitur clauēs Regni cœlorum, potestas, mandatum, & officium vel ministerium prædicandi Euangelium, à Deo Ecclesiæ datum & institutum: per & propter Christum omnibus pœnitentibus annuñciandi remissionem peccatorũ, eosq; absoluendi: impœnitentibus verò retinendi & ligandi peccata.

6. Id autem bifariã fieri affirmamus. Nam vel publica id fit prædicatione verbi Dei: vbi toti cœtui alicui peccatorum annuñciatur remissio. Sicut Actor. 2. Petrus fecit.

7. Vel priuatim singulis. Quemadmodum Christus Matth. 9. Paraliticum, & Luc. 7. peccatricem absoluit, dicens: Remittuntur TIBI peccata TVA.

8. Nam quod Christus Matth. 16. & 18. promittit clauēs Regni cœlorum Apostolis: nihil aliud est, quàm quod Ioh. 20. dicit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt eis. Et Marci vltimo, ablegans eos, cum mandato, vt eanti n orbem vniuersum, & prædicent Euangelium omni creaturæ: cui qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus sit futurus: qui verò non crediderit, eum condemnatum iri.

9. Quibus verbis, à resurrectione sua, quod antea promiserat, exhibet illas, & explicat, quid sint illæ clauēs: nempe aliud nihil, quàm Ministerium Spiritus: quod est, prædicatio Euangelij, & administratio Sacramentorum, aliarumq; rerum, quæ cum Euangelio sunt coniunctæ. Atq; ita vnum & idem sunt, potestas clauium, & Euangelij prædicatio, mutuò se potentia & tollentia.

10. Tamet

6 Disputatio de clauibus

10. Tametsi autem vnum sit verbi Dei Ministerium: tamen quia duo diuersa sunt hominum genera, cum quibus Ecclesiae Ministris est negotium, nempe credentes, & increduli: duplices etiam sunt Ecclesiae clauis: quarum vna, Soluens: altera, Ligans dici potest.

11. SOLVENS CLAVIS, est pars illa Ministerij Ecclesiastici, qua verè resipiscentibus annunciatur in nomine, hoc est, mandato Christi, omnium peccatorum remissio. Et dicitur Absolutio.

12. Absolutio autem hæc, etsi generaliter sonet, cum dicitur: Quicquid solueritis, Ecclesiastica tamen cum sit, non circa politica versatur, qua subditi ab ordinarij sui Magistratus absoluantur obedientia, propter quascunq; causas: cum magis à Ministris Ecclesiae illi ad obedientiam Magistratibus suis, in politicis, præstandam, sint exhortandi.

13. Nec etiam circa abrogationes & dispensationes à legibus, decretis & constitutionibus Pontificijs, aut constitutionibus & traditionibus humanis, in Ecclesia, propria authoritate, sine verbo Dei, institutis: cuiusmodi sunt de discrimine ciborum leges, & prohibitiones coniugij in certis personis, ac vitæ genere, gradibusq; remotioribus, votis & similibus nugis, facta redemptione pecuniaria, versatur.

14. Abusus hic est, clavis soluentis intolerabilis, humana audacia in Ecclesiam Dei inuectus, ad confirmandam & stabiliendam tyrannidem Pontificiam, in figendis & refigendis legibus, & decretis: & aperendas cistas, in quibus reconditæ fuerunt opes, & thesauri orbis Christiani: quos hoc modo corradere & colligere voluerunt.

15. Non

Regni cœlorum.

7

15. Non igitur piæ fuere fraudes, Indulgentiæ istæ Pontificiæ, vt quidam vocauerunt: sed valde impiæ, ac imposturæ simplicium, & nimis credulæ turbæ.

16. Sed versatur Absolutio, circa vera peccata, quæ contra Legem Dei committuntur: sicut peccatum definitur ab Apostolo, quod sit ἀνομία. 1. Ioh. 5.

17. De peccatis enim agit Christus, cum de soluendo loquitur: Si peccauerit, inquit, in te frater tuus. Et addit: Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et sic secundum subiectam materiã intelligenda est vniuersalis, & restringenda. Matth. 18.

18. Hæc igitur vera & sola Absolutio, de qua in Ecclesia & verbo Dei agitur, clauium potestate facta, prædicatio est, & annunciatio Euangelij de Christo: quod Deus per & propter hunc, gratuito suo fauore remittat & condonet peccata omnia, omnibus ac singulis verè pœnitentibus, ac credentibus in eum: sicut Christus ipse exposuit Ioh. 20. & Marc: vlt. per remittere peccata, & credentibus promittere salutem.

19. Etsi autem certa verborum forma Apostolos in Absolutione vsos fuisse non legatur: cum omnis Euangelij annunciatio, sit Absolutio: tamen reprehendendum non est, si solenni aliqua Minister Ecclesiæ forma vtatur: in qua meriti & Passionis Christi fiat mentio, repetito eius mandato, & promissione addita.

20. Absit autem hîc superstitio, & necessitas certæ formæ: cui ita alligatum esse oporteat: vt nihil verborum addere, nihil detrahare absq; peccato audeat: sed certis & conceptis verbis vtendum sit. Quod Pontificij statuunt.

B

21. Certa



21. Certa hæc atq; adeo necessaria Absolutionis Pontificiæ forma, partim magica est, partim idololatrica.

22. Non enim existimandum est, vi verborum, ex opere operato, & sic quasi magico isto susurru & murmure, à Ministro Ecclesiæ remissionem peccatorum conferri: sed fide in Christum opus est, qua audiens Absolutionem, eam, tanquam ex ore Dei altissimi, excipiat & amplectatur: confirmante Christo:

Luc. 10. Qui vos audit, me audit.

23. Vnde apparet, damnandam esse formulam Absolutionis Pontificiæ vlitatam: in qua, merito Christi, propter quod confitens absoluendus erat, tanquam insufficienti, merita Beatissimæ Virginis Mariæ, Petri, Pauli, & omnium sanctorum, necnon & propria bona opera, malorumq; tolerantia, annexantur.

Actor 4. 24. Quia non est in alio quoquam salus: nec sub cælo aliud nomen datum hominibus, in quo eos oporteat saluos fieri, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi: cui testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accipere per nomē eius, OMNES qui credunt in eum.

Ibid. 10.

25. Nec vnquam errat clauis hæc soluens in Absolutione: sed semper certa est & indubitata: quia verbum Euangelij de Christo, eius merito & beneficijs, certum est, verum, firmum & ratum: de cuius veritate minimè est dubitandum.

26. Siue igitur quis credat, siue non credat, se propter Christum absolui vel ligari, quia in Christum non credat: tamen certo soluitur & ligatur. Ac rata habetur in cælis Absolutio, quæ fit in terris: quæ vna & eadem est cum illa.

27. Nec

Regni cœlorum.

9

27. Nec à personæ, siue dicentis, siue audientis dignitate vel indignitate dependet. Etsi enim audiens, de peccatorum remissione dubitet: non tamen existimandum, clauem, de qua Christus disertè pronunciat: Quicquid solueritis super terram, solutum erit & in cœlis, errare. Quia veram audit Absolutionem.

28. Hominum enim incredulitas non euacuat fidē, ^{Rom. 9.} id est, veritatem verbi Dei: sicut incredulus, verum quoq; baptismum accipit: indignus, veram Domini cœnam, sed ad iudicium.

29. Quare & Absolutione Christiana, non annuntiatur tantum & declaratur: sed simul offertur & exhibetur peccatorum remissio: quam tamen incredulus, quia fide caret, sibi oblatam, non accipit. Vt enim fructuosa sit, & ad salutem utilis, fides à nobis exigitur, qua eam suscipiamus.

30. Quia verò Pontificij doctrinam de gratuita peccatorū remissione non intelligunt: ideoq; homines absoluunt, propter peccatorū suorum contritionē, cōfessionē & satisfactionem: hæc verò num sint sufficientia nec ne, ignorant: ideo clauem errare fingunt, & homines dubitare docent. Quæ horrenda est miserarum conscientiarum carnificina. Et hoc modo fides & Euangeliū euertuntur: Regnum Dei destruitur: clauiumq; vsus annihilatur, & perit illis.

31. Author Absolutionis est Deus, qui solus sua ^{2. Cor. 5.} autoritate Christus, suo merito, minister Ecclesiæ, tanquam legatus Dei, suo ministerio, peccatorum remissionem annuncians, verè absoluit à peccatis, ex animo resipiscentes.

32. His porro beneficijs increduli & dubij, suo se vicio priuant, dum oblata & exhibita beneficia nolunt adprehendere.

B 2

33. Nec

Matth. 18.
Pro. 24.

33. Nec semel tantum pœnitens à peccatis est absoluentus: sed quoties de agnitis peccatis dolet, ac propter Christum veniam petit, promittens serio emendationem. Iuxta illud Christi: Non dico tibi septies, sed septuagies septies. Quia septies in die cadit iustus. Et in multis offendimus omnes.

34. Vnde damnandus est error Nouatianorum, veniam negantium lapsis in confessione, aut alijs magnis sceleribus pollutis. Sicut recte Chrysostronus dicit: Etiam millies pœnitens, ingredi.

35. Clavis altera, Ligans dicitur: quæ non significat auctoritatem ferendi leges ad salutem populorum: sed potestas est retinendi peccata ipsius, qui manifestis sceleribus sunt obnoxij, & impœnitentes: eosque excommunicandi, & arcendi à sacramentorum usu, & tradendi satanæ, donec resipiscant.

Ioh. 20.
1. Cor. 5.

36. Quod ex verbis Saluatoris est manifestum: Quorum retinueritis PECCATA, retenta erunt. Quemadmodum Apostolus excommunicat Corinthium incestuosum. Et alibi Christus iubet, Ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores eijci, veste nuptiali carentem.

37. Cum igitur verbum LIGARE, ad PECCATA referatur: sicut & verbum soluere vel remittere, supra thesi 17. scelerate fecerunt Romani Pontifices, qui clauem hanc ad suas sanctiones, leges, mandata & decreta retulerunt: Prætextu horum verborum armantes se potestate condendarum legum, quibus totum orbem Christianum sibi fecerunt obnoxium.

38. Hoc modo Romanenses quæsiuerunt & inuenerunt clauem ad Regna & imperia mundi: pro sua

Regni coelorum.

11

sua libidine, contra Imperatores summos, Reges & Principes, propter merè secularia negocia, & causas priuatas suas, quas cum illis habuere, fulmina sua expedientes.

39. Concessit autem has clauas Dominus ex æquo omnibus suis Apostolis. Quod ex verbis Christi Matth. 18. apparet. Quod enim antea dixerat Petro: Quodcumq; ligaueris, illic dicit: Quaecumq; **A L L I G A V E R I T I S** super terram. Et ex Iohannis Euangelio est manifestissimum. Cum enim dixisset: Sicut misit me Pater: ita ego mitto vos, insufflauit in eos, & dixit eis: **A C C I P I T E** Spiritum sanctum: Quorum **R E M I S E R I T I S** peccata, remittuntur eis: & quorum **R E T I N E R I T I S**, retenta sunt.

Ioh. 20.

40. Quo in loco rectè Panormitanus Abbas scribit: quòd Christus his verbis, post resurrectionem suam, omnibus Apostolis parem tribuerit potestatem: Et, quòd Petrus pari consortio honoris & potestatis cum cæteris Apostolis præditus fuerit: Nam ante mortem promisisse quidem Dominum Petro Apostolatam & potestatem clauium: non tamen dedisse ipsi: nec fecisse eum principem.

Panormit. quest. 1. num. 11. & 12.

41. Non igitur soli Petro sunt datae. Etsi enim dixerit: Et tibi dabo clauas Regni coelorum: non tamen soli Petro hoc dixit: sed in persona Petri omnibus Apostolis: quorum ipse os erat: Sicut etiam non solus ipse interrogatus erat, sed omnes Apostoli: quaerente Christo: Quem vos me esse dicitis? Sicut rectè Hieronymus scribit: Petrum in persona omnium Apostolorum respondisse.

Matth. 16.

42. Nam quòd Saluator tertia vice Petro præca-

Ioh. 21.

B 3

teris

teris Apostolis dicit: pascere oues meas: non illi his verbis prerogatiua aliqua praereliquis conceditur: sed officio suo restituitur, quo terna abnegatione indignum se reddiderat: & iubetur, pascere, vt ante gregem Domini.

Gal. 2. 43. Nec vnquam aut vsquam hoc sibi vsurpasse ius, vel in reliquos Apostolos, vel in totam Ecclesiam legitur: imò à Paulo seuerissimè reprehensus, quòd non recto pede incederet secundum veritatem Euangelij, non fulmen strinxit, sed conticuit.

44. Contra, Romanenses Pontifices à nemine prorsus volunt reprehendi: sed ipsi redarguunt omnes: Quòd tantæ celsitudinis vertex errare non praesumatur.

43. Caterum si maximè Petrus priuilegio aliquo reliquis Apostolis esset praelatus (quòd tamen ex sacris probari non potest literis) quid hoc ad Pontifices Romanos Antichristianos? cum successio non in loco, sed in doctrina Apostolica consistat.

46. Verum nec solis Apostolis, sed etiam (vt ex verbis Christi Marc. vlt. & Ioh. 17. apparet) omnibus veris ac synceris Euangelij doctoribus, adeoq; toti Ecclesiae, quæ est materfamilias, concessas esse clauas, certum est. Apud hanc eas deposuit: adeò vt etsi in terris ista fiant, in coelis nihilominus sit ratam habiturus & Absolutionem & Ligationem.

47. Quibus rectè & salutariter vtuntur Doctores Ecclesiae, cum iuxta ordinationem Dei, Euangelium syncerè proponunt auditoribus: quo ianuam caeli, alias clausam hominibus propter peccata, referant credentibus.

Regni cœlorum.

13

48. Pontifex Romanus, qui sibi videtur solus habere illas claves, minime veras habet, sed adulterinas. Nec enim monstrat veram viam ad portam Regni cœlorum, quæ est solus Christus Iesus, per quem qui non ingreditur, fur est & latro. Ioh. 10.

49. Manifestum namque est, Romanenses multas alias erroneas monstrare vias, quibus docent homines ingredi & mereri vitam æternam, videlicet per propria bona opera &c.

50. Has claves Christus terminis cœli & terræ circumscripsit. Non igitur nec in Inferno, nec in Purgatorio, quod nullum est, locum habebunt.

51. Maximus etiam abusus clauium, aut potius illarum corruptela & deprauatio, in Regno Romani Pontificis fuit & est, quod sibi peculiare hominum genus consecrauit cui claves committere voluit: quos tamen non ad publicam Euangelij prædicationem, ad quod fuere asini ad lyram: sed ad Missas celebrandas pro viuis & defunctis emisit in orbem Christianum, quem illis repleuit. Ex quo nullus prorsus ad Ecclesiam rediit fructus: sed pestis eius fuere non minima.

52. Faciunt præterea & clauem scientiæ, & Iurisdictionis.

53. Et quidem clavis scientiæ Christus quoque facit mentionem. Luc. 11.
Matth. 23.

54. Quæ tamen aliud non est, quam ministerium, vel officium, docendi, enarrandi & prædicandi verbum Dei, cum iudicio: per quod homines ad veram Dei agnitionem adducuntur: vt discant, quomodo salutem & vitam æternam consequi debeant, Deumque castè colere.

55. Est

55. Est enim Scriptura sacra, organum Spiritus sancti, quo ignorantia nostrae & errorum vinculis ac compedibus solutis, in Dei & nostri, rerumque ad nominis Dei gloriam, nostramque salutem pertinentium notitiam introducimur: sine quorum scientia nemo in Regnum caelorum ingreditur. Atque ita ad utramque clauem, Absolutionis & Alligationis, scientiam simul & potestatem concurrere necesse est.

56. Hac clauē Phariseos abusus esse Christus asserit: corrupta & adulterata sincera doctrina caelesti. Ideo etiam vae illis denunciat:

57. Porro non soli illi Pharisei, qui tempore eo, quo Christus in terris conuersatus est, vixerunt, clauis ista sunt abusi: verumetiam Pontifices Romani: qui eam partim ad cognitionem causarum & casuum in confessionibus, in quibus se non posse absoluere, nisi prius cognita causa, opinati sunt, partim ad suam auctoritatem transtulerunt, quam sibi super omnium aliorum dogmata, & iura diuina simul ac humana sumpserunt: adeo, ut sacram quoque ipsam Scripturam a se robur accipere pronuncient.

58. In quo multiplex est error: sicut res est fecunda, Error: cum semper vnus alios pariat, & quidem plures: Sicut aliis dicitur: Ad palliandum vnum mendacium, septem alijs opus esse.

59. Primum enim, quod ad Confessionem auricularem, quam, Sacramentalem ipsi nominant, in qua iure diuino homines teneri, ut omnia sua peccata confiteantur, Canonistae impudenter asserunt & temere.

60. Cum eius rei testimonium ex Sacris literis (quae sunt ius diuinum) proferre nullum possint: Sed
plane

planè contrarium in illis habeatur : nempe quòd im-
possibilis sit enumeratio illa omnium delictorum. *Des* Pfal. 18.
licta enim quis intelligit ?

61. Nam quòd D. Iacobus in sua Epistola dicit :
Confitemini alterutrum peccata vestra : non instituit Iacob. 5.
ibi confessionem auricularem Sacramentalem, quæ
proprio fiat Sacerdoti. *ALTERUTRUM* enim, non
sacerdotem proprium significat, sed Christianū quem-
libet : ubi offendens proximum, tenetur deprecari of-
fensam, & fateri peccatum suum : sicut Saluator do-
cet Matth. 5. & 18.

62. Et Gratianus in suo Decreto, cum plurimas De poenit. dist. 1.
in medium patrum authoritates in vtrancq; sententiam c. quamvis para-
attulisset: num confessio sit necessaria, nec ne : tandem grapho quibus.
concludit : Cui autem horum potius adhærendum sit,
lectoris iudicio reseruat. *VTRAQUE ENIM*
FAVTORES HABET SAPIENTES ET RELI-
GIOSOS VIROS.

63. Adeò non sensit, *IVRE DIVINO* teneri
homines ad omnium peccatorum confessionem : vt
de eius necessitate primùm dubitet : deindè, eos qui
negant esse necessariam, nihilominus vocet sapientes
& religiosos viros (cum iam tales comburantur à
Papistis) sicut alibi quoq; dicit, Ecclesiam Orientalem
ad confessionem non teneri : quia talis constitutio ad
eam non emanârit.

64. Non est autem oneranda Ecclesia lege ista,
quæ requirit omnium peccatorum enumerationem :
Quia hæc existimatur esse cultus, & meritum remis-
sionis peccatorum : Et, quòd dicitur postulari, vt pos-
sit indici satisfactio : Item, quòd adducit conscientiam in
dubitatione, quæ extinguit fidem. C 55. Non

65. Non tamen improbamus, si petiturus Absolutionem, non solum Deo, sed etiam Ecclesiae ministro, in genere sua confiteatur peccata.

66. Praeterea, si angatur conscientia, propter casum aliquem, ex quo se expedire nequeat, proponat illi: ut & consilium & consolationem necessariam & idoneam ab ipso ex verbo Dei petat.

67. Et multae sunt causae, propter quas utile est, retineri in Ecclesia talem confessionem, nempe propter Absolutionem priuatam, & disciplinam, ne inexplorati prorsus ad communionem accedant & admittantur. Et per hanc occasionem imperiti audiri, & commodius de tota doctrina institui, item perturbatae conscientiae facilius erigi possunt.

68. Caeterum quod ad causarum & circumstantiarum cognitionem in confessione attinet, sciendum est, Ecclesiae Ministros, non esse iudices de peccatis, sicut in foro politico: sed ministros esse Absolutionis, qui suo ministerio petentibus & poenitentibus, atque in Christum credentibus, & emendationem serio promittentibus, impartiri Absolutionem debeant.

69. Ingens enim hac in parte discrimen est inter Ministrum Ecclesiae, & Magistratum politicum. Pastor absoluit, non ut iudex, prius tota causa per omnes circumstantias cognita: sed ut minister, mandatum habens, non cognoscendi iudicialiter, sed absoluedi poenitentes petentes. Marc. ult.

70. Nam quod dicitur & scribitur etiam, Sacerdotes Leuitici generis discreuisse inter lepram & lepram: notum est ex Mose, diuina ordinatione Sacerdotibus commissum fuisse iudicium de lepra corporali.

rali. Quæ si iam per allegoriam ad peccata, quæ mor-
bus & lepra sunt animæ, transferantur, (sicut non in-
concinna est) Nota est D. Augustini regula: Quod
figura hæc in sacris nihil probet.

71. Nec etiam vel propter contritionem, vel pro-
pter confessionem, peccator absoluendus est à pecca-
tis: sed propter Christi Mediatoris meritum, gratis
consequuntur omnium suorum delictorum veniam
omnes credentes in eum.

72. Cumq; ministerium sit vnum, eiusdem meriti
& efficaciam: Et absolutio non dependeat à dignitate
aut scientia personæ, vel absoluentis, vel absoluendæ.

73. Ideo, quod ad Absolutionem, qualiacumq; sint pec-
cata, siue magna, siue parua: tam infimus, quam sumus
in ordine Ecclesiæ minister, absoluere potest & debet
peccatorem poenitentem ab omnibus peccatis. Nec enim
vllum est peccatum, quod sua magnitudine Christi me-
ritum superet: modo non repellatur per incredulitatem.

74. Nam quod ad casus reseruatos, inuentum &
comentum esse Pontificium affirmamus, propter quæ-
stum, auaritiam, ambitionem, & ad tyrannidem Pon-
tificiam super Reges & Regna mundi stabiliendam,
excogitatum. Et plerumq; reseruaciones pertinent ad
casus, quibus humanæ traditiones violantur. Gra-
uiora delicta, facilius remittuntur.

75. Nec enim, Sicut in morbis corporis, propter
eorum diuersitatem, varia & diuersa à Medicis peris-
terioribus adhibentur remedia, cõuenientia singulis: ita
idem in Spirituali animæ medicina obseruatur.

76. Etsi enim hæc quoq; varij sint morbi, hoc est,
peccata: tamen non varia singulis pro eorum diuer-
sitate

sitate adhibentur remedia: sed vt vnus est medicus, Christus, ita vnicum debet omnibus peccatis adhiberi emplastrum, nempe sanguis Christi, qui nos emundat ab OMNIBVS peccatis.

1. Ioh. 1.

77: Quòd porrò potestatem Iurisdictionis, quam clauibus annectunt, à nemine exerceri posse affirmant Pontificij, nisi speciali ab Ordinario concessa licentia.

78. Ad hanc autem pertinere, confessiones audire, publicas imponere pœnitentias, concedere indulgentias, excommunicare, suspendere, interdicere, &c.

79. Hæc ita à Pontificij regni Patronis simplicibus verbis proponuntur, quasi nihil admodum incommodi habere prima fronte videantur.

80. Verùm plena sunt imposturæ & impietatis, sub quibus multa alia latent, totq; errores, quot verba: videlicet potestas illa immensa & infinita, quam se habere fingunt in cœlo & in terra, præcipiendi & prohibendi quod libet: deponēdi de solio Maiestatis Cæsares, (quod non semel ab eis factum est) mandandi Angelis paradisi, vt animas morientium in peregrinatione Romam versus, anno Iubilæo, in cœlum statim immediatè subuehant. Item dicunt: Nostræ, etiam iniustæ sententiæ, metuendæ. Sic Nicolaus 3. in sua bulla (& quidem verè bulla) rugit: quòd Deus D. Petro æternæ vitæ clauigero, comiserit iura simul terreni & cœlestis imperij. Similiter & Clemens V. in Concilio Viennensi dixit: superioritatē ad Imperium nos habere, non est dubiū: & potestatē, in qua (vacante imperio) Imperatori succedimus. Et nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum & Dominus Dominantiū, nobis, licet imēritis, in persona Beati Petri concessit &c.

Clemens 6. in bulla de anno Iubilæo.

Distinct 22. c. omnes.

Clementiarū lib. 2. de sententia & re iudicata c. Pastoralis.

81. Hoc

81. Hoc disertè Christus Petro, & alijs similiter Apostolis omnibus, hac de re contendentibus (ne Luc. 22. quis cogitare posset, hæc ei in mentem non venisse) negavit, dicens: Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, Benefici vocantur: VOS AUTEM NON SIC.

82. Et vnde Pontifici Romano infinita illa potestas, vt pro arbitrio leges figat atq; refigat: prohibeat cibos, quos Deus condidit sumere cum gratiarũ actione, fidelibus, & his, qui agnoscunt veritatem: similiter & coniugium &c. & postea, numerata pecunia, dispenset, datis indulgentiarum literis: deponat Imperatores, Reges, Principes, quos visum fuerit: absoluat ab obedientia eorum subditos, qui Iurisiurandi vinculo illis sunt obligati?

83. Hanc nundinationem & tyrannidem Pontificiam (potestatem Iurisdictionis ipsis vocare libuit) D. Petrus, nec à Christo Domino & Magistro suo accepit, nec vsurpauit vnquam: multò verò minus successoribus eam reliquit.

84. Sed hi sunt, de quibus Prophetavit ipse, Pseudoprophetae in populo Dei: quos graphice admodum 2. Pet. 2. depinxit, quòd carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulent, ac Dominationem contemnant, audaces, præfracti, qui gloria præcellentes, non verentur conuicijs incessere dignitates.

85. Interim verò non negatur potestas illa Iurisdictionis, quæ iudicium est quoddam Ecclesiæ externum, ad eius gubernationem pertinens, qua manifestis criminibus obnoxios excommunicat, & excommunicatos poenitentes recipit.

86. Quæ tamen nõ ad vnum Pontificem aut Of-
 ficialem, sed ad Ecclesiæ ordines pertinet, præcedente
 1. Cor. 5. legitima & sufficienti cognitione.

87. Nam quòd multa ex Iure Canonico pro stas-
 bilienda Iurisdictione & potestate Pontificia in Eccles-
 sia Christi afferuntur. non curant ea verè p̄ij: vt quæ
 sine authoritate verbi Dei dicuntur: ideoq̄, secun-
 dum Hieronymum, eadem facilitate repudiantur, qua
 afferuntur. In Ecclesia enim Christi nequaquã locum
 habet Pythagoreæ scholæ illud: ἀὐτὸς ἔφα: sed Filiū Dei,
 voce cœlitus delapsa Doctorem audire iubemur. Hic
 vnicus est noster Magister et præceptor. Matt. 3. 17. 23.

88. Satisfactiones, olim in Absolutione impositæ,
 externa quædam & politica disciplina Ecclesiæ fuere,
 humana authoritate institutæ, vel exempli causa, ad
 cæteros à flagitijs deterrendos, vel ad explorandos
 eorum animos, qui acta pœnitentia ad Ecclesiam redi-
 bant, num ex animo resipiscerent.

89. Cum enim in primitiua Ecclesia p̄ij Episcopi,
 inter Gentes viuentes, Magistratus opera destitue-
 rentur, quòd non iuuarent studia docentium in Ec-
 clesia, sed persequerentur: disciplinam quoquo modo
 instituere & conseruare cupiuerunt. Ne igitur Eccle-
 siæ alumni, Gentium exemplo, impunè peccarent:
 pœnas quasdam excogitauerunt, quas peccantibus im-
 posuerunt. Et has, Satisfactiones vocabant.

90. Hæ Satisfactiones, interdum longiori, inter-
 dum breuiori durabant tempore: nec remittebantur
 ante tempus præscriptum absolutum, nisi in periculo
 mortis constitutis.

91. Iusto autem seueriores ferè illæ fuerunt:
 cum

cum tantum humana authoritate essent institutæ : ideo non est existimandū, ijs satis coram Deo pro peccatis fuisse factum : sed tantum Ecclesiæ, quæ erat offensa.

92. Coram Deo enim, pro peccatis non nisi vnica est Satisfactio, & expiatio, nempe passio & mors Domini nostri Iesu Christi: qui se obtulit hostiam pro peccatis, in odorem suauitatis Domino, cum victima pro illis fieret in cruce. Qua vnica oblatione, consummauit in æternum sanctificandos. Hic enim est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, & qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cuius liquor re sanati sumus.

Hebr. 10.
Ioh. 1.
1. Pct. 2.

93. Non ergo nostra bona opera, aut passiones sanguine eius tincta in expiationem peccatorum sunt consecrata. Hunc enim honorem alteri non dat Christus, qui SEMETIPSUM tradidit pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantia.

94. Et quidem verum est, hoc Christi meritum, Passionem, Sanguinem & mortem, Ecclesiæ esse thesaurum: sed quod solus Pontifex Rom. ad hunc habeat clauis, qui deinde tantum meritorum cuique homini, & operi distribuat, quantum ipsi libet, & videtur, id verò falsissimum esse asserimus.

95. Et postea homines indocti, non intelligentes rem, obscurata doctrina de gratuita fidei iustificatiōe, antiquato more, cum sua sponte, rigor ille remisisset, retento tamen vocabulo, ex re ferè politica, spirituales fecerunt, tanquam necessariam ad peccatorum remissionem consequendam, proque illis satisfactionem esse senserunt: cum satisfactio Pontificia, neque culpæ, neque poenæ mereatur remissionem.

96. Hinc orta est temporis successu satisfactio Scholasticæ

Scholastica: quæ est, facere opera quædam indebita & inutilia, peregrinationes ad Diuorum reliquias, preces ad sanctos compositas, impias, ad redimendas pœnas purgatorij facticij & Platonici atq; Poëtici, aut alias quasdam pœnas temporales.

97. Fingunt enim Scholastici, remitti culpam per absolutionem: sed pœnam æternam, peccatis debitã, mutari in pœnam purgatorij temporalem.

98. Deinde, partem quandam illarum pœnarum remitti potestate clauium narrant: partem verò, satisfactionis operibus redimendam, ieiunijs scilicet, elemosynis, preculis multiplicatis, abstinentia ab esu carniũ, & similibus.

99. Quia non omnia pœnitenti impunè sint condonanda. Quòd Deus peccatũ inultũ non relinquat.

100. Hinc Indulgentiarum nundinationes sunt exortæ, ab hominibus indoctis, & ignaris Religionis Christianæ, doctrinæq; cœlestis.

101. Olim Indulgentiæ, fuerunt relaxationes pœnarum canonicarum: Ideoq; iam, cum illæ sua sponte ceciderint, sunt nomen inane.

102. Et impietas est, docere, indulgentijs applicari merita sanctorũ: cum nulla habeant superflua: nec applicatio ista locum habeat, cum iustus sua fide uiuat.

103. Abusus etiam manifestus est, quòd populus iubetur, relaxationes traditionum de cibis & alijs rebus à Pontifice prohibitis, redimere.

104. Quæ falsæ persuasiones nocent conscientiæ, & iniuste compilatur populus. Sed quia hæ imposturæ sunt quæstuosæ, retinentur & defenduntur à parasitis & harpyis Pontificijs.

105. At

105. At sciendum est, remissionē tām culpæ quàm poenæ, gratuitum Dei esse beneficium, ac meritum Christi: in quem Deus Pater reiecit omnia nostra peccata, eaq̄ in ipso grauissimis supplicijs, & probrosissima morte puniuit, qui est nostra satisfactio, & propitiatio, non pro nostris tantum, sed totius mundi peccatis: Et simul nos liberari à peccato & morte æterna, per eundem Mediatorem, qui venit, vt dissoluat opera Diaboli, quæ sunt peccatum & mors: Non quòd poenæ æternæ, in temporales præsentis vitæ, siue fictici Purgatoriij post hanc vitam commutentur: vt Sophistæ fingunt.

106. Super filium enim Deus posuit omnium nostrarum iniquitates: disciplina pacis nostræ super eum: & liuore eius sanati sumus. Atq̄ ita non solum peccata nostra, sed etiam poenas illorum sustinuit in corpore suo, & portauit super lignum.

107. Hæc, veræ sunt Indulgentiæ: hic annus acceptabilis Domino: hi dies salutis. Vbi non opus est auro vel argento: sed omnes sitiētes veniant ad aquas: & qui non habent argentum, properent, emant & comedant, absq̄ argento, & absq̄ vlla commutatione.

108. Minister autem Ecclesiæ, nec imponit nec aufert suo ministerio poenas temporales: quæ tolli, suo vsq̄ tempore, non possunt: nisi de poena satisfactionis externæ, qua Ecclesiæ offensæ satisfit, intelligatur: de qua supra 88. & sequentibus.

109. Cæterū calamitates, quas Deus remissis sæpè peccatis imittit, etsi potestate clauium nec imponantur, nec remitti possint: sæpè tamē vera poenitentia, & totius vitæ ad Deū cōuersione mitigari possunt. Nec sunt afflictiones istæ piorū satisfactiones vel cōpensationes

D pro

pro peccatis, Nam & Adæ, & Dauidi Crux & calamitates imponuntur demum, postquam iam remissionem peccatorum essent consequuti, sed alias habent causas. Imponit enim eas Deus suis, ut sint vel admonitiones de reliquijs peccati in carne, vel frena ad coercendam carnem, ne deinceps peccato indulgeat, vel exempla quibus alij ad poenitentiam excitentur, vel testimonia ad confirmandam piam doctrinam, vel instrumenta illustrandæ gloriæ Dei. Denique multæ sunt causæ afflictionum, in ijs, qui iam remissionem peccatorum consequuti sunt fide. Sed harum nulla est, quod sint satisfactiones pro peccatis. Quæ Maiestas soli Christi Passionis competit.

110. Indulgentiæ itaque cœlestes sunt & veræ, cum Deus pater cœlestis remittit & indulget, per & propter filium suum, eiusque meritum ac passionem, PECCATA, omnibus in eum credentibus. De quibus in Esaiâ habetur: In dilectione sua, ET IN INDULGENTIA SUA, redemit eos.

111. Quod etiam de manuû impositione in Absolutione scribitur, non posse eam citra peccatum omitti, nisi in casu necessitatis: non ridiculum solum, sed etiam impium est.

112. Fuit quidem manuû impositio, ritus valde vetustus, in sacrificijs, sacerdotum consecratione & alijs obseruatus: sicut Christus manus infatibus quoque imposuit.

113. Sed tamen sciendum est, nullam habere efficaciam peculiarem, nisi quod actum reddit illustriorē, & aliquam habet significationem. Alias in Nouo Testamento verè est adiphoron: Sicut nec Apostolos ea in Absolutione usos fuisse, in sacra Scriptura legitur.

114. Ordio

114. Ordinarium Absolutionis ministrum, Pontificij, Episcopum aut sacerdotē, legitime ordinatum, adq; officia sacra subeunda consecratum, nulloq; Ecclesiasticæ censuræ vinculo obstrictum, esse affirmant.

115. Et quidem cum Apostolus velit, omnia in Ecclesia decenter & secundum ordinē fieri: dubium non est, etiam authore Salvatore nostro, ordinariē clavis Regni cœlorum Ecclesiæ Ministros in officio divinitus sibi iniuncto uti debere: ad eosq; solos publicam earum administrationem pertinere, qui ab Ecclesia legitime vocati, idonei ad prædicationem verbi Dei, & functionem Ecclesiasticam sunt iudicati. 1. Cor. 14.

116. Quod ad sacrificulos Pontificios attinet, constat, illos principaliter ad Missas demurmurandas, & offerendas pro vivis & defunctis, minimè verò ad prædicandum Euangelium ordinari. Quod ex forma consecrationis eorum patet.

117. Vnde valdè multi illiterati, ad duas tantum vel tres Missas celebrandas ex ordinatione admittuntur: quòd plures legere nequeant.

118. Et quia simul ad audiendas confessiones auriculares, & absoluendū consecrari dicuntur: ad hoc autem discretionē requiri, & scientiā, qua lepra à lepra discernatur, Pontificij affirmant: quàm idonei illi tales sint futuri, ipsismet iudicibus, viderint Papistæ.

119. Quod verò ad nos Euangelij Doctores: etsi neq; oleo Pontificio illo, neq; chrismate rancido uncti simus (vnde functionem nostram, inefficacem esse, nugantur illi) tamen cum non solum à Christo summo Pontifice nostro, regale simus sacerdotium, 1. Pet. 2. vocati in admirabile lumen, ut virtutes annunciemus

26 Disputatio de clauibus Regni cœlorum.

eius, qui nos vocauit è tenebris: verumetiam Ecclesiæ dicantur & sint clauis, quæ est Materfamiliâs, easq; ab ipso accepit, vna cum absoluendi potestate, cui uoluerit, ut possit committere illas: ritè ab ea vocati ad Ecclesiæ ministerium, rectum simul & legitimum earum usum accipiunt, habent & administrant efficaciter.

120. Cumq; Papæ coniurati, etiam laicum posse ex Pontificis Romani concessione, ab excommunicatione absoluere, asserant.

121. Nos rectius autoritate ea, de qua paulo antè, quemuis Christianum à peccatis in casu necessitatis posse absoluere fratrem: & quidem sapius, ac toties id facere statuimus, quoties consolandi gratia, vel ægrotum, vel aliâs tentatum accedit, eiq; ex sacra Scriptura sententiam Euangelicam proponit, & recitat.

122. Imò, quod amplius est, Christianum, etiam cum solus est, & præsentia vel Ministrorum, vel aliorum piorum caret & destituitur: tamen eum secum clauis Regni cœlorum, quibus sibi cœli ianuam aperiat, circumgestare pronunciamus. Cum earum usus priuatim omnibus & singulis Christianis concessus sit, & permissus.

Aug. VI 63

ULB Halle
003 877 892


3



Sb.







8

DISPUTATIO DE
CLAVIBVS REGNI
cœlorum.

Diuino fauente numine.

PRAESIDERE
VERENDO CLARISSIMOQUE
VIRO, DOMINO IACOBO HEERBRANDO,
S S. Theologiæ Doctore, & eiusdem in inclyta Tü-
bingensi Academia Professore celeberrimo, Præs-
ceptore suo summa obseruantia colendo, M. IOAN-
NES LANGIVS Memmingensis, ad subscri-
ptas Theses 16. Septemb. hora & loco
solitis exercitiij causa respons-
debit.



T V B I N G Æ,
ANNO M. D, LXXV.

